



Chronica praesulum et archiepiscoporum Coloniensium.

Chronica praesulum et archiepiscoporum Coloniensium anno 1857 ex cod. bibl. gymnasii ad s. Marcellum Coloniensis No. 204 in libris *Annalen des hist. Vereins fuer den Niederrhein* (IV, p. 181-244) inscriptis primus ^{Jod. Eckertz} typis imprimendam curavit, nullo quidem alio usus adminiculo nisi magno chronico Belgico, cuius auctor magnam huius chronici partem ad verbum transcripsit. Locupletavit ille edito tandem chronico, quod per longum temporis spatium indigne neglectum atque diu desideratum fuerat, historiam Coloniensem multiplici et praecara materiae.

Sed etiam alteram chronicae praesulum recensione[m] quandam haud negligendam praebet cod. Trever. No. 1432 chart. fol. saec. XV. (cod. 5), quae quidem incipit 'anno dominice incarnationis 94 sub Fomiciano imperatore,' explicit eodem quo chronica typis impressa loco. Licet res fere semper, verba plurimis locis congruant, tamen saepissime historia episcoporum alio ordine narratur et in singulis inveniuntur innumerae leves varietates. Ultra recensio antiquior sit, diiudicare non possum, cum quae inter eas et fontes communes ex quibus hauserunt fontibus ratio intercedat non liqueat; nam modo hanc modo illam fontes accuratius sequi inveni. Haec alteram aut excerptam aut ampliatam esse pro certo dicere dubito, ac nescio an is ad verum proxime accedat, qui utriusque recensione[m] eundem fuisse auctorem statuat, ita ut recensione[m] secundam quasi adumbrationem quandam operis, primum opus ipsum esse existimet omnibus numeris absolutam.

Modo primam modo secundam recensione[m] exscripsit, quibusdam locis aliunde depromptis, Jacobus de Susato ordinis praedicatorum, saec. XV. in. in universitate Col. professor, inquisitor, Theoderici II. archiepiscopi confessorarius. huius chronicon, editum a. 1857 ap. Leibertz (*Quellen der Westphael. Gesch.* I, 165-215, cod. 6) concluditur quidem anno demum 1420,